Misc. 650 n. 36 26

DE SANCTI SPIRITUS ADVENTU.

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio.

AD SANCTISSIMUM D. N.

INNOCENTIUM XII.

PONT. MAX.

A CANONICO

BERNARDO CAIETANO GUADAGNI.

Semin. Rom. Convict.

ROMÆ, Typis Dom. Ant. Herculis. 1693.

Superiorum permiſſu.

36

146

INNOCENTIO XII.

PONT. MAX.

BERNARDUS CAIETANUS GUADAGNI

Fœlicitatem.

AUDACIOR fortaſſe, videri poſſem, dum has litterarum primitias tuo nomine inſcribo BEATISSIME PATER, niſi ab ipſa Divini Spiritus majeſtate terras dignante diſcerem, ſummæ, ac propè Divinæ conditionis eſſe humaniter ſe ad ſupplicum vota demittere. Ad hoc æquitatis habita quædam ratio accedit, qualeſcumque enim fructus iſti ex Romani Seminarii

hortulo provenerunt: qui olim, omni virtutum genere à te ſplendidiſſimè cultus, & exornatus: ſuum nunc Solem te, ac Beatiſſimum fæcunditatis ſuæ Parentem agnoſcit. Mihi verò, vel maximè honorificum fuerit, munere iſto perfungi, cùm tu Florentiam, Patriam meam, Pontificia Legatione illuſtratam; Purpuræ, & ſupremi in terris Principatus, ſplendidum feceris rudimentum. Excipe qua ſoles humanitate, munuſculum Domi tuæ natum: & Orbis univerſi felicitati, cui tam impensè, atque unicè ſtudes, diutiſſimè vivas.

ORATIO.

SPIRITUS veritatis poſt partam humano generi tranquillitatem, & fœderatas Cœlo terras nova bella denuntiat B. P. id enim eſſe cauſæ interpretor cur ignem cujus aſperum, & intractabile ingenium eſt, Socium fauſtiſſimi quem meditabatur in terras illapſus, adſciverit. Quid verò niſi Bella portenderet incitatus ille, novuſque è Cœlo fragor, & quædam amoris tonitrua, quibus tamen, non ad Terram corpora affligerentur, ſed animi erigerentur in Cœlum. Ita amor Divinus commotione illa, flammiſque, terroris inſignia oſtentat ut ſuos recrudeſcentis belli admoneret, & quia perfidia multorum expediebat intelligi, amorem, qui deſcen-

derit fortem eſſe , & armatum . Si indomiti cæteroqui Leones , ſolo ignis aſpectu terrentur , debuerat Leonem illum tartareum , qui circuit quærens quos devoret , metu percellere : occurſus flammarum Cæleſtium ſalutaris . Divina olim Sapientia , eloquium ſuum attemperavit antelucani roris in morem , & pluviæ deſcendentis in vellus ; hodie , ad eluviones ſcelerum ubique graſſantium reſtinguendas eloquentiam robuſtiorem accerſit , quæ ſcintillantibus igne linguis munita, feliciùs quam in Pericle Athænæ ſuſpexerant , tonitru perorat, & fulmine . Et miremur ſi vehemens illa ex igne procella incluſos in Auguſta Sionis Curia naſcentis Eccleſiæ Patres,non afflaverit metu , ſed ſpe certiſſima confirmaverit, non latebras ad declinandum incendium perveſtigare coëgerit , ſed latentes prius,atque ſollicitos in apertam aciem proripuerit . Neque verò pectorum anguſtiis , aut ſacrorum parietum ambitu , ſe ardor ille continuit . Remotiſſimas terræ regiones , Cœlo , ingeniis , moribuſque pugnantes irradiavit , tenuit , expiavit ; Exitu ubique tam fauſto , fortunatoque , ut quos adureret flamma , reficeret ; quos diſſolveret, colligaret ; quos conſumeret , vocaret ad vitam . Quanta porrò celerita-

te, non armiſ, ſed ſapientia decertatum eſt, ac triumphatum. Vix delirantium anteà Populorum Inſtitutor Ignis Apoſtolorum frontes amabili incendio coronavit, cum Æthnicæ ſuperſtitionis oraculis ſilentium indictum; cum Egyptiorum, Perſarum, Indorum inſanientis Sapientiæ ſacraria obmutuerunt; cum ejuratis ubique teterrimis errorum monſtris nova, divinaque Sapientia recreatus orbis, & confirmatus. Nimirum veritatis ad perſuadendum expeditiſſimum iter eſt; & ubi Magiſter eſt Deus facillimè diſcimus, quod docemur. Miſteriis multo ſublimioribus initiari ſe lætatur Ægyptus. Naviculario Præceptores demirata, Sapientes ſuos Grçcia deſpexit. Hæc verò Populorum, Terrarumque grande compendium Roma, ad primos Divinæ Lucis exortus oculos longa nocte caligantes aperuit tanta felicitate, ut quæ omni ſcelerum errorumque colluvione deformabatur, jam divinitatis interpres, veritatis magiſtra conſalutetur. Hæc Religionis incrementa, triumphos hoſce pulcherrimos flammis illis acceptos referre debemus; quæ ſingulari concitatione commotis terris, ipſa Belli denunciatione, pacem Eccleſiæ lætiſſimam pepererunt. His impoſterum

flam-

179

flammis de infeſtiſſimo hoſte Tartareo, novas in dies Chriſtiano Gregi inſidias moliente; Religionis arx iſta, & propugnaculum inluctabile, triumphabit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.